

son super hoc iudicium prestantibus oportune. Date stucholmis. Anno domini M^oCC^o Nonagesimo III dominica sancte trinitatis. In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus est appensum.

Sigillet, i grönt vax på utklippt remsa, skadadt.

1094.

1293 d. 31 Maj.

Skällwik.

Kyrkoherden i Hvetlanda Elors gåfvobref på alla de gårdar han i Hvetlanda köpt, hälften till Biskopsbordet och hälften till Domkyrkan.

B 3. 62.

Omnibus presentes litteras inspecturis ELAUS Rector ecclesie hweteland salutem in domino sempiternam. Pateat vniuersis quod ego sanus et incolumis mentisque mee compos omnia predia mea titulo empcionis acquisita que in hwetelandom possideo cum omnibus suis attinenciis pro anima mea ecclesie confero lincopensi jta quod exnunc medietas ad mensam cedat episcopi. Et medietas eorum ad vsus pertineat ecclesie memorate In cuius rei testimonium sigillum meum vna cum sigillo reuerendi patris. dominj L. episcopi lincopensis presentibus est appensum Datum & actum in skieldo-wiik anno domini Millesimo .CC.XC tercio. secundo kal. Junij.

1095.

1293 d. 6 Juli.

Fru CHRISTINA, Johan Elefsons dotters, Lagmannen Birger Persons Frus, testamente, hvari kyrkor, alla kloster och hospitaler inom riket, henne man, öfriga arfvingar och tjenarinnor ihogkommas med gåfvor af gods, penningar, kläder och smycken äfvensom trälar och trälinnor förunnas frihet.

A. 4.

IN nomine Patris & filii & spiritus sancti amen. Cum mortis terminus cunctis mortalibus sit incertus, idcirco ego CRISTINA filia johannis Elefson, vxor birgeri peterson, graui corporis infirmitate laborans, meum in hunc modum condo & ordino testamentum. Vpsalensi Ecclesie lego decem marcas den. & pro fabrica ipsius ecclesie specialiter quinque marcas den. Jtem fratribus predicatoribus siktunie vbi corporis mei eligo sepulturam, sexaginta marcas den. Jtem eisdem do ad ornatum paramentorum ecclesiasticorum paraturas meas de argento dictas kapubonadh & skinnabonadh. Monialibus in sco decem marcas den. Fratribus predicatoribus skeningie quinque marcas den. Jtem sororibus apud sanctum martinum ibidem quinque marcas den.

Item fratribus Minoribus in stocholm quinque marcas den. Item sororibus ad sanctam claram ibidem quinque marcas den. Ceteris claustris in Regno suecie constitutis. cuilibet tres marcas den. Item cuilibet hospitali duas marcas den. Item ecclesie Tæby tres marcas den. & domino botulpho sacerdoti ibidem tres marcas den. Ceteris ecclesiis in quarum parochiis aliquam curiam habeo cuilibet ecclesie vnam marcā den. & sacerdoti vnam marcā den. Item Curiam meam berghar in Ostgocia, quam predictus dilectus dominus meus maritus in nostrarum mihi contulit crastino nupciarum, confero & reddo eidem marito meo cum omnibus mobilibus & immobilibus bonis ibidem pro parte honorum mobilium, quam ipse de curiis meis secundum patrie leges hereditare deberet. & in huiusmodi commutatione reddo eum quitum & liberum ab illis que ego percipere deberem in bonis suis vel heredes mei, ne occasione cuiuslibet diuisionis inter dominum Maritum meum & heredes meos possit in posterum aliqua displicencia suboriri. Item committo Dilecto patri meo & predicto domino meo karissimo, vt precium quod ipse maritus meus recepit pro curia mea Othamaby in ølandia quam uendedit, distribuant & dispensent prout salutis anime mee nouerint expedire. Item amantissimo Patri meo sepe nominato fratri Johanni de ordine Militum christi, confero & lego ei & eius Religioni curiam meam Sørby in asschahered in ostgocia & dimidium attungum terre in huarf ibidem & centum marcas den. Item famulis qui mihi fideliter seruierant lego viginti marcas den. distribuendas eis & diuidendas & dandas prout sepememoratis, Patri & Marito meo placuerit. Item fidei famule mee Margarete que mihi diu laudabiliter & utiliter fuerat obsequuta, assigno in fanø quatuordecim solidos terre, videlicet octo solidos terre in bethernum & duas oras terre in vretum pro qua terra fateor me recepisse de illa plenum & ab eadem mihi plenarie satisfactum. Item dicte Margarete do brunetum mantellum meum foratum. Item uestem meam aliam dictam mantulkapu similiter foratam. Item vnam fibulam .I. braz de argento. Item tunicam & sorcocium de bruneto. Item duas culcedras recipiendas de curia mea ekihamar. Item sellam & frenum meum. Item Gudhløghi vnum mantellum de scarleto. Item Jngiburgi vnum mantellum blauium. Item katerine vnam tunicam de blauio. Item Dilecte consobrine mee domine jngigerdi filie domini Philippi de Runby, confero brunetum mantellum meum foratum cum pellibus hermelinis .I. lecattaskin. & vnam stolpabraz de auro secundum beneplacitum Patris & mariti mei. Reliquum aurum meum confero prememorato marito meo dilectissimo. Item curiam meam etdh cum molendino & pratis in hamu & curiam meam in vnø deputo pro soluendis supradictis legatis, ita quod maritus meus eas sibi pro ducentis marcis den. infra biennium, si ei placet, redimat. quod si ei non placuerit, pater meus predicto modo eas redimendi habeat facultatem. volo eciam quod omnia bona mea indiuisa sub

custodia & ordinacione exequutorum maneant, & de illis soluantur eciam supra legata & cum ducentis marcis den. predictis. nec heredes mei hereditatem adire ualeant antequam supralegata omnia fuerint plenarie persoluta. Omnes seruos & ancillas meas confero libertati. Huius testamenti mei, partim per me dilectum patrem meum de mea speciali commissione & expressa voluntate & per maritum meum, ordinati, testes secundum vices ordinacionis & partes ordinatorum, fuerunt, nobilis vir, dominus Philippus de Runbÿ, Religiosus vir, frater jsrael ordinis predicatorum, dominus botulphus de tæbÿ sacerdos, Johannes gasabogh. Domicella jngegerdis. Margareta famula mea, & plures alie persone de familia nostra sexus vtriusque. Exequutores autem huius testamenti mei constituo & facio, venerabilem virum Magistrum Andream Prepositum vpsalensem, predilectos, patrem & Maritum meum sepememoratos, & supradictum, fratrem jsraelem lectorem siktuniensem. In quorum omnium robur & euidenciam pleniorum, vna cum signo paruo quo vsa sum, & sigillis exequutorum meorum prenominatorum, sigillum Domini Regis, & domini. Th. Marscalei, domini Philippi de Runbÿ, domini botulphi de tæbÿ, humiliter & instanter peto presentibus apponi. Actum Anno Domini. Millesimo, Ducentesimo Nonagesimo Tercio, circa Octauas apostolorum Petri & Pauli

Sigillen: 1, 2, 5 bortfallna; 3, 4, 7 andeliga, 6, 8 obetydligt skadade.

1096.

1293 d. 11 Juli.

Broby.

JOHAN ELEFS sons stadfästelse på föregående, dess dotters gjorda Testamente.

A. 6. a. 2. 11.

IN nomine domini amen. Ego frater JOHANNES ELEFSON de ordine militum christi, pater christine felicis memorie vxoris domini Birgeri peterson legiferi, licet secundum priuilegium ordini meo ab apostolica sede indultum, hereditarie possim succedere pro me & ordine meo in bonis karissime filie mee predictæ Cristine defuncte sicut facerem in statu seculari existens, tamen saluti anime ipsius defuncte volens paterne prouidere & vtilitati ac consolacioni eorum qui post me eius legitimi sunt heredes, intendens, retenta mihi vna curia Sørby & dimidio attungo in huarf & Centum marcis denariorum percipiendis de bonis defuncte prout in eius testamento continetur expresse, testamentum eiusdem predictæ filii mee ratifico, & omni quo possum iure confirmo, & defuncte heredibus post me legitimis, quos karissimos mihi & plurimum propinquos totis visceribus diligo, hereditatem ipsius